Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26237
Copyright: Admont, Benediktinerstift

nuatur. Totam terram cingit. omnes regiones et provincias dividit. Huius inmensa profunditas dicitur abyssus. quasi absque fundo. Habet tamen fundum quamvis nimis profundum. De Oceano.

Oceanus dicitur quasi ocior amnis vel quasi zonarum limbus. Undique enim zonas mundi in modum limbi ambit.

Estus oceani id est accessus et recessus lunam sequitur. De estu. cuius aspiratione retro trahitur. eius inpulsu refunditur. Cottidie autem bis effluere et remeare videtur. Cum luna crescente crescit. cum decrescente decrescit. Cum luna est in equinoctio maiores oceani fluctus surgunt ob vicinitatem lune. cum in solsticio minores ob longinquitatem eius. Per xviiii. annos ad principia motus et paria incrementa ut luna revertetur. De Voragine.

[illegible] est. id est vorago in oceano que ex ortu lune maiori estu fluctus involvit et revomit. Hec autem vorago que totas aquas et naves absorbet et revomit. hinc fit. Est intra abyssus profundissima. de qua scribitur: Rupti sunt omnes fontes abissi magne. Iuxta hanc sunt cavernosa loca et spelunce late patentes. In his venti de spiramine aquarum concipiuntur. qui et spiritus procellarum dicuntur. Et hi suo spiramine aquas maris per patentes terrarum cavernas introrsus in abyssum attrahunt. et ea exundante iterum magno impetu repellunt. De tremo[re terre].

De his ventis fit et terre motus. Nam venti in concavis locis inclusi dum erumpere gestiunt terram horribili fremore concutiunt. eamque tremere faciunt. De hiatu.

Hinc etiam contingit terre hiatus dum loca cava et continuus aquis fragilia ventis concussa rumpuntur et introrsus cadentia in hiatum aperiuntur. de quibus et multe civitates devorate leguntur. Hoc est autem in terra tremor. quod in nube tonitruum. Et hiatus. quod ibi fulmen. Fiunt autem cum terre motu inundationes maris. eodem videlicet spiritu infusi et residentis sinu recepti. De Sycilia.

Unde Tellus Sicilie que cavernosa et sulphure ac bitumi